

bus et sacramentis, quibus litigatores apud Romanos in initio litis inter se contendere et se prouocare solebant <sup>zz</sup>). Denique *sequester* dicitur in primis iureconsultis nostris is, cui quidquam committitur ad auertendum periculum, quod alter contendendum sibi metuit ex possessione alterius euenturum, quo sensu frequentissime in libris nostris occurrit. Sed de hac significatione hoc loco plura proferre non lubet <sup>aaa</sup>), quum spectet ea ad ipsam sequestrationis notionem, quam

fuisse ipse indicat in *Auctuario iurisprud. numismatice* hoc ipso anno edito pag. 62. nolo quidquam de hac re, quam nondum satis meditatus sum, hoc loco differere.

<sup>zz</sup>) de quo ritu vid. BRISSON. *de formulis Lib. 5. c. 7.* et quae ibi BACHIVS in edit. a se 1754. curata notauit. SIGON. *de Iudiciis L. 1. c. 21. Tom. 2. de A. I. P. R. p. m. 466. sqq.* et IO. GOTTL. HEINECCI *Diff. de pecunia, in casum, si caussa quis ceciderit, in iudicio seponenda*, item SCHREITERI V. C. *Diff. 2. de sacramentis.*

<sup>aaa</sup>) Neque haec quidem tam late et copiose eram prosequutus, quae hucusque de grammatica huius vocis consideratione, in primis de variis eiusdem significationibus, differui, nisi animus mihi fuisset, dare, hac commoda occasione mihi oblata, spe-

cimen quoddam huius generis tractationis curatius instituendae. Diu enim multumque optaui et desideraui, ut quis non tantum, quod BRISSONIVS fecit, colligeret omnia verba in libris nostris obuia, sed ut hanc collectionem hac ratione susciperet, ut, quae vis cuiuslibet voci quouis loco, quo ea occurrit, insit, curatius expendere. Qua in re posse quemquam optime sic versari puto, ut primum vocis originem adducat explicetque, dein, si fieri possit, (potest autem, licet non in omnibus, certe in plurimis) vniuersalem, quae voci insit, notionem definiat, tum speciales quaeunque et varias significationes vocis iusto ordine indicet, demonstratque simul, quomodo ex altera vocis significatione sit altera nata, quid commune inter se omnes signifi-